

clamans audita est: *Sistite sistite iter, ulterius non progrediamini, nec moveamini: peribitis alioquin absque dubio praecipites.* Cuius monita aurigae cursum stare fecerunt, cumque ab eis vir ille obnixè rogaretur: *Dic, obsecramus, doce nos, rogamus, quid faciendum nobis est?* At ille statim respondit: *Omnes pariter versus unam signatam partem iter pedetentim arripite: quae quidem non minus apparebat periculosa. Cumque illi omnes obtemperassent, et se miraculose a praecipitio ereptos conspexissent, vellentque hominem illum inquirere, ut ei debitas persolverent gratias; beata Mater eximia devotione, et lacrymarum profluvio perfusa, sociis sanctimonialibus dixit: *Frustra quippe aurigae conquisitum hominem invenire fatigantur, non invenirent: erat enim sanctissimus pater meus Ioseph, qui a periculis nos liberavit, eam nostram direxit, et in tuto nos collocavit. Quod rei probavit eventus: nam aurigae usque ad voraginis profundum descendentes, nullum hominem, nec vestigium hominis invenientes, defessi rediere, et omnes unanimitè Deo, et sanctissimo Iosepho gratias exhibentes, reliquam itineris partem alacriter, et velociter peregrinut.**

Beatus Ioseph adiutor, et protector est navigantium, qui in perpetuo fere versantur periculo: *Qui navigant mare, inquit (Ecclesiast. 43), narrant pericula eius, audientes auribus nostris admirabimur: et (Psalm. 106) Qui descendunt mare in navibus, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia eius in profundo. Ascendunt usque ad caelos, et descendunt usque ad abyssos. Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est. Fortum etiam praecipue, qui naufragium passi sunt, se patronum ostendit, dominans potestati maris, et motum eius mitigans. Quod manifesto hoc exemplo confirmatur in authentica, et gravissima historia sacri, ac seraphici nostri Ordinis, quam edidit pater Ioannes de Famo, cuius et meminit magister Gratianus (loc. cit.). Refertur, quod cum duo sanctissimi Iosephi devoti, et eiusdem Ordinis religiosi, Flandriam versus navigarent, navi cum multis hominibus demersa, ipsi quadam arrepta labella, tribus integris diebus, ac noctibus Ioseph implorantes, super maris undas ambulaverunt: et quod tercia die super eadem tabella in medio quorundam apparuit juvenis elegantis formae, et decoris aspectu, qui eos dulciter, et affabiliter salutavit, eos homo animo esse iubens, erant enim iam quasi viribus deficientes; quo auxilio sani, et salvi evaserunt, et gratias agentes Deo pro beneficii accepti magnitudine, invenem illum rogaverunt, ut nomen suum eis revelare dignaretur, qui statim placido vultu: se sanctum esse Iosephum ingenue fassus est.*

Experientia item compertum est, tam uxores, quam viros zelotypiae stimulis agitato ad d. Iosephum contagientiae, divino auxilio suffultos, ab eo dolore liberatos, sicut et ipse eodem morbo laborans, angelum sibi loquentem audivit: *Ioseph, noli timere accipere Mariam conceptum tuum, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Moneo etiam eosdem coniugatos, ut infantem filium suum in lucem recens*

editum statim h. Iosepho, et b. Virgini offerant, et educandum tradant, obnixè deprecantes, ut velit illi esse pater, paedagogus, et tutor: et b. Virgo sponsa eius dulcissima mater utrique, et eorum cuiuslibet diceret: *Accipe puerum: futurum est enim, ut Herodes quaerat ad perdendum eum: et beatae Virgini in particulari, quod regis Pharaonis filia dixit matri, licet non eogitaret, infans Moysis: *Accipe puerum istum, et nutri mihi, et dabo tibi mercedem tuam, (Exod. 2).* Age iam Virgo sanctissima, misericordiae tuae sinus aperi, iste hic filius meus sit, quae, filius tuus; nutri, obsecro, eum, non mihi, sed tibi: in tua semper devotione permaneat, et ego dabo tibi mercedem tuam: hoc est, varia tibi obsequia incessanter impendam. Proculdubio infantem recipiet, et absque ulla comparatione ministerium excellentius praestabit, quam Moysis mater, licet alioquin haec illum nutrivit, infantem parum educavit, et adultum tradidit.*

Iam fitem dicendi facio, affirmans, felicissimos illos appellari, qui coeleste hoc donum devotionis erga Virginem, et Iosephum susceperint, et in ea ad mortem usque perseveraverint: de illis enim haud insipienter dixerit: *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta. (Psalm. 135).* in quae verba Euthymius ait, antiquum morem fuisse hostium legatis, ut ante portas civitatis loquerentur. Nic. de Lyra legit, *In porta, id est, in iudicio, quia iudices antiquitus in porta sedebant, et ibi coram eis aliquando factae sunt disputationes fidelium cum infidelibus.* Gloss. vero moralis ait: *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta, scilicet mortis, in qua non confundetur a spiritibus malignis, quia Virgo sanctissima, felix coeli porta, suo patrocinio, et efficaci protectione tibi aderit.* Unde (Sap. cap. 6) dicitur: *Facile videtur ab his, qui diligunt eam, et invenitur ab his, qui quaerunt illam: qui de mane vigilaverit ad illam, non laborabit: a sidentem enim illam foribus suis inveniet.* Non confundetur in porta, quia sanctissimus Ioseph, vir, et sponsus Virginis, tunc Sanctorum multitudine sociatus, sedebit in portis cum senioribus terrae, auxilium et tutissimam protectionem humiliter devoto suo impertiendo, iuxta illud (Prov. ult.): *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terrae.* Et forsitan nunc tibi contingit, quod his verbis refert s. Gregorius (libr. 4. dial. cap. 15. 16. et 47): *Nonnunquam omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam prius revelationibus roborat, ut in morte minime pertimescant. Nonnunquam etiam in consolatione egredientis animae, ipsa apparere solet auctor, et restitutor virgae. Interdum etiam contingit iustus, ut in morte sua Sanctorum praecedentium visionem aspiciant, ne ipsam mortis suae sententiam poenalem pertimescant, sed dum eorum mentium civium supernorum societas ostenditur, a carnis suae copula, sine doloris, et fordidinis flagitatione solvantur: haec divus Gregorius. Si beatae Virgini, et charissimo eius sponso divo Iosepho devotum, ac perseverantem prae-*

steris famulatum, non temere sperare poteris in hora mortis haec eadem beneficia te susceperum, et tunc singulorum vultus intueris, dices, quod olim Iacob filio suo Iosepho (Genes. 46): *Iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam.* Iam Christus Domine laetus moriar, quia vidi faciem tuam speciosam praefiliis hominum. Iam beata Virgo mater misericordiae, laetus moriar, quia vidi faciem tuam pulchram et lunam: electam et solem. Iam laetus moriar, dulcissime Ioseph, quia vidi faciem tuam similem valde pulchritudini Christi, et Mariae. Tunc tandem dulci concentu modulaberis, ut contemplatur Eusebius Emisenus (de gloria Paradisi): *Quam delectabilis repausatio post depositum gravis oneris fuisse? Quam dulce post longae captivitatis catenas ad charam patriam recuperata libertate remeasse? quam pretiosum post multa navigationis pericula ad optatam terram ac portum desiderabilem pervenisse? Iam iam passer solitarius a mundi, et proprii corporis rele, et periculoso laqueo liberatus, invenit sibi domum. Iam iam turtur, cuius vox gemeunda, et desolationis plena in hac mortalium, et miserima terra audiebatur, invenit nidum, ubi ponat pullos suos. Iam iam qui terram arenem cum dolore colebat, aeternae beatitudinis patriam perennis consolationis irriguum videre incipit. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum? Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Iam iam lux splendens caelestis templi, et altaria inceptit ostendere: altaria tua Domine virtutum rex meus, et Deus meus. Iam iam in altaria sacratissima, beatissimam scilicet Virginem, et sanctissimum Iosephum, quorum brachiis vera hostia, verum sacrificium, Verbum caro factum, Deus humanatus, et homo Deificatus gestabatur, nutriebatur, et secure, ac delitiose quiescebat; ad me venientes video: altaria tua Domine virtutum, Rex meus, et Deus meus. Iam iam choros utriusque sexus, Virginum beatam Virginem, et b. Iosephum comitantes, et mihi magna cum laetitia occurrentes videre incipio, eosque e longe resalutans clamito, beati, qui habitant in domo tua Domine; in saecula saeculorum laudabunt te. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini: cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA MAGNA, ET ULTIMA

Prosequimur idem argumentum Iosephi, et Virginis sponsi, varia praeconia decantantes, ad maiorem in animis fidelium devotionem virgae illum excitandam.

Quamvis de hoc genere argumenti latissime dissererim, praecipue (libr. 4. et 9), sanctissimi tamen Patris ac Domini mei Iosephi praecoriorum vena dives adeo, et locuples esse perhibetur, ut tametsi disertissimi doctores novas laudes incessanter ex ea hauriant: cum

tamen illam exhaurire nequeant, maior enim est omni laude, quem Christus Dominus ineffabilis matris suae sponsi honore, ac patris sui legalis singulari praerogativa dignum indicavit, necesse est, ut potius deficiant laudatores, quam materia laudandi: quae igitur alibi non praetermissum, tunc supplere properamus.

§. I.

DE SANCTIFICATIONE D. IOSEPH IN UTERO MATERNO.

Gravissimi auctores constanter affirmant, beatum Iosephum fuisse sanctificatum in utero materno: unde et dicere licet (Psalm. 70): *In te confirmatus sum ego utero, de ventre matris meae; tu es protector meus, in te cantabo mea semper: tu es doctissimus Gerson Cancell. Parisiensis (in serm. de Nativ. Virginit) in Concilio Constantiensi habito, ubi assertit, quod contineat in officio Hierosolymitano de d. Ioseph composito, et Theophilus, Chrysostomus, ut refert Isidorus Isolanus (lib. de s. Ioseph cap. 9. et 10), Margarita Confessorum (in part. ult. ex memorabilibus), Iacobus Christopholitanus (super Cant. beatae Virg.) , Archiepiscopus de Capite Fontium (libr. de perpet. Virginit. Mariae, et Ioseph), ac pene innumeri moderniores; quos perlongum esset recensere: idque mihi persuadere verissimum, quia omnis sanctificatio in utero fuit, aut propter sanctificati excellentem dignitatem futuram, aut quia ad Christum Sanctum Sanctorum speciali ratione ordinabatur; utrumque autem in nostro Ioseph excellit: ipse enim iustus fuit, et primus, quem Spiritus sanctus canonizavit in novo testamento, vocans illum iustum: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et supra omnes viros ordinatus fuit prius, et immediatus ad Christi infantis tutelam. Igitur rationabiliter credimus in utero fuisse sanctificatum. Unde si Hieremias in utero sanctificatus legitur (Hierem. 1). Factum est ad me verbum Domini dicens: Priusquam te formarem in utero, novi, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam gentibus dedi te: id quod alia fieri decaat propter expressorem prophetiam, quam de Iosepho venturo ediderunt erat; potiori iure d. Ioseph sanctificari decebat propter expressissimam Christi notitiam supra cunctos viros, ac familiarissimam quam cum illo subituro erat consuetudinem. Quod si Ioannes Baptista in utero fuit sanctificatus, ut dicitur (Luc. 1): Et Spiritus sanctus replebitur adhuc ex utero matris suae, quia praecursor Christi, et clamosus eius praeco futurus, ac digno illi demonstraturus erat; quanto potiori iure s. Ioseph in utero sanctificari debebat, quia Christi Domini non praecursor, sed nutritus, non praeco, sed pater legalis, et Genitricis sponsus futurus erat?**

Atque hinc etiam efficitur, ut sanctissimus Ioseph fuerit confirmatus in gratia ad similitudinem Apostolorum; ita docent Gerson (in serm. de Nativ. Virg. et in sua Iosephina), et

Gratianus (*lib. 5. de Ioseph. c. 5. tit. 1.*) Hinc consequenter dicendum, quod toto suae vitae curriculo nullum peccatum mortale commiserit, ut docet Augustinus (*de natura et gratia*), quem sequuti sunt multi recentiores, Gerson (*in sua Iosephina*), Margarita Confess. (*in qua ultima ex moralibus*), Fonseca (*in vita Christi*), Barrad. (*lib. 6. concord. cap. 8. prope fin.*), Gratian. (*lib. 5. de Ioseph. c. 5. tit. 1.*): id quod ex eo clare patet, quia effectus doni confirmationis in gratia est non peccare mortaliter, ut docet sanctus Thom. (3. p. q. 27. art. 6). Insuper arbitror b. Iosepho fuisse extinctum peccati fomitem, aut saltem ligatum, ita censet idem Gerson (*serm. de nativ. Mariae*), Ioannes Echius (*serm. de S. Ioseph*), Iacobus episcopus (*in cant. B. Virginis*), Bustensis (*in Marial. 4. part. serm. 12. per totum*), Andreas de Solo (*lib. de Ioseph. c. 10*), Canisius (*lib. 2. de Virgine. cap. 13. post med.*), Salmeron (*tom. 3. tract. 29*). Etenim cum b. Ioseph a Deo fuisset b. Virgini datus in adiutorium simile sibi, maxime quoad dona et virtutes, concernentes communem matrimonium convictum, cui maxime congruebat extinctio, vel ligatio fomitis in Ioseph, Deus, a quo caeleste hoc matrimonium fuit specialiter ordinatum: *Qui attingit a fine usque ad finem, disponens omnia suaviter*, sicut b. Virgini fomitem extinxit, ut docuit d. Thom. sic et b. Ioseph; vel si non extinxit, saltem ligavit: etenim b. Virgo vitam actura erat cum sanctissimo Ioseph, et non utinque, sed tam familiariter, ut a quotidiano viri conspectu, domesticoque convictu se minime abstereret: imo illam et comitem, et socium continuum habere, is enim duxit illam in Aegyptum, et ab Aegypto reduxit, solusque cum sola tam longinquam, et tam secretam viam confecti, ut nullum periculum in suo purissimo caelatu vereretur. Nec dubium prorsus, quin castissimus, et sincerissimus amor ex mutatis illis vitae communis officiis, atque obsequiis magis, magisque fuerit in dies confirmatus, et ad commodiorem Christi pueri educationem magnum fructum attulerit. Quid autem illi metuerent? cuius incontinentiae periculo subiacerent, tam firmis, et solidis divinae gratiae praesidiis communiti, ut lex carnis, et effraenis concupiscentiae sanctum, et divinum in illis amorem nulla ex parte immineret, atque labefaceret? Unde egregie Canisius (*lib. de Deip. cap. 13*) inquit: *De Ioseph scribit Gerson, in hoc iusto, et aequo casto viro peccati originalis fomitem, vel extinctum, vel depressum fuisse; sed et prorsus decessisse, ne praestans Virginis formam, et cohabitatio familiaris ipsum ad libidinem sollicitaret, ac aliqua ex parte commoveret. Quamvis decor castitatis et admirabilis Mariae nullum ad fordam carnis concupiscentiam incitabat. Deinde originalis peccati effectus, quamprimum apparuit in motibus concupiscentiae inordinatis, ut (*Gene. 2*) legitur: ubi cum primi parentes in statu originalis iustitiae essent nudi, non erubescerent. Igitur credendus est Ioseph ligatum habuisse fomitem peccati originalis etiam naturaliter, et absque deliberatione in quempiam concupiscentiae appetitum prorumperet eius sensus, dum in consortio Virginis*

versaretur, etenim appetitus operatur circa obiectum applicatum, nisi per actuale motum ad superiori potentia contineatur, quam naturalem inclinationem, et efficaciam non videntur soli habitus posse impedire: nam sicut vitia non sufficient ad tollendam inclinationem ad bonum, ita neque virtutes, licet aliquo perfectissime possunt tollere naturalem inclinationem appetitus ad sensibilia, quae interdum rationi repugnant, et ad illa nonnumquam moventur, nisi aliunde divinitus praeveniatur. Igitur cum sanctissimum Iosephum nullus prorsus libidinis motus unquam pulsaverit, manifeste efficitur, ut suaviter in eo omnis concupiscentia cessaret, quomodo solus per habitum, aut virtutes, sed et per divinam gratiam excitantem praevientem, et illum adjuvantem.

Ad haec Virgo sanctissima castellum divinum est, in quod ingressus fuit Iesus (*Luc. 2*). Castellum enim a casitate dicitur, quasi castum liliam, ut docet Glossa ordin. ibi. Unde divus Bernardus (*ser. 2. de Assump. in princ.*) ait: *Quid introisse eum dicimus in castellum? etiam in augustissimum virginitatis uteri diversorium intravit. In custodem autem fidelissimum huius castelli coelestis datus fuit b. Ioseph, contra Helvidium testatur divus Hieronymus. Cuiuscunque vero castelli custos, maxime a rege Hispaniarum constitutus, debet esse nobilis, atque adeo tribuitur ignobilium prorsus exemptus, ut habetur (*in lib. 6. et 7. titul. 18. part. 2*). Igitur cum sanctissimus Ioseph fuerit a Deo custos Mariani castelli constitutus, oportebat ne tribuit illius solutionem subiret, de quo gemens divus Paulus (*2 Cor. 12*) dicebat: *Infelix ego homo, qui me liberabit de corpore mortis huius? et (*ad Rom. 7*): Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae.**

§. II.

DE NOMINE IOSEPH EXCELLENTIA.

Nomen Ioseph ei divinitus, et peculiari Dei providentia contigit: ita Albertus Magnus (*sup. Miss. est. cap. 48*), et Isolanus (*1. part. cap. 2. et cap. 12. per totum*), et cardinalis Toletanus (*sup. Luc. cap. 1*), explicans illa verba: *Cui nomen erat Ioseph. Idque probant primo ex praecedenti typo, et figura. Nam Ioseph filius Iacob, de quo in Genesis capitibus multis diversa referuntur, in fide, quam domino suo servavit, non ausus impudice tangere dominam suam, et castitate consequenter, et mysterio revelatione, procuratoris commissione, cibi conservatione, et terrae praelatione, istius Ioseph typum gessit: ille autem divino nutu nomen Iosephi accepit, quod augmentum interpretatur. Igitur et nosier, ut figura respondeat figurato, maxime, quod significatio illa augmenti egregie in Iosephum convenit, ut his verbis honoravit Albertus Magnus (*sup. Miss. est*): *Proprietatis, et significatio, quae incrementum sonat, optime congruit, quia per hanc dispositionem quantum ad proximum, et quantum ad Deum, sublimis fuit: virtutum videlicet augmentatione, famae celebritate, hominis reverentia, et dilectione. Matris Dei familiaritate, et divina, et putabatur, paternitate. D. Augustinus a significatione nominis laudes Sanctorum decerpit: etenim (*serm. 1. de s. Steph.*) sic ait: *Stephanus enim graece, latine corona appellatur. Iam coronae nomen habebat, et ideo palmarum martyrii suo nomine praeferebat. Unde cardinalis Toletanus (*sup. cap. 1. Luc.*) in illa verba: *Cui nomen erat Ioseph, postquam dixerat cum divo Hieronymo augmentum significare, sic ait: Ad hanc significationem alludens Iacob (*Genes. 49*), quando filio suo Ioseph benedixit, sic loquutus est: *filius accrescens Ioseph, filius accrescens, quasi diceret; vere o fili Ioseph auctus es, et accrescisti, sicut nomen tuum significat: nam excelluisti, et in dignitatem proventus es tantum, ut omnium fratrum tuorum sis supremus, et qui natus pene ultimus eras, effectus sis primus honore. Hoc idem nomen sponsus b. Virginis ex ditimo consilio sortitus est, ut potiori iure de eo dicere possimus: *vir accrescens Ioseph, vir accrescens: in tantam enim exaltatus est dignitatem, ut Matris Dei, cui inter puras creaturas, sanctitate, et dignitate nihil est aequale, meruerit esse verus sponsus, et unigeniti Filii Dei pater nuncupatus. Quibus duobus privilegiis, et titulis auctus est super omnes patriarchas, et prophetas, qui ante eum fuerunt. Quibus si adiungas, quod quem reges, et prophetae desideraverunt videre, et non viderunt, audire, et non audierunt, ipse non solum vidit, et audivit, sed in ulnis saepe portavit, frequenter amplectus, et osculatus est, per plures annos cibavit, vestivit, et paternis officiis ipsi ministravit, iure profecto nomen hoc adeptus videtur: et paulo inferius de augmento spirituali nostri Ioseph agens subdit: *Si vero virtutum animi species, non inferiorem, aut aequalem illi Patriarchae filio Iacob, sed longe superiorem, invenies. In illo enim Ioseph castitas mirifice commendatur, ut refertur (*Gen. cap. 30*), dominus sollicitanti ad peccandum, non solum non acquievit, sed etiam elegit potius iram domini sui pati, et peccatorem reputari, quam crimen contra Deum committere: vere magna castitas est haec. At quis non admiretur nostrum Ioseph, qui per plures annos cum Virgine pulcherrima sponsa sua ita conversatus est, ut tamen neque ullo verbo, nec cogitatione, neque motu interiori, qui minus cum summa puritate conveniret, quique solet in sanctissimis viris, vel ex aliqua levi causa subrepere, fuerit inquinatus.*******

Denique filium, si non parem, saltem non degenerem sponsum matris suae eligere aequum erat: nam quibus Deus munus iniungit, pro muneris qualitate solet communicare perfectionem: id quod non obscure adumbratum fuit in melioratione facta a Patriarcha Iacob dilecto filio suo Ioseph, figura nostri, qui morti proximus sic eum fuit alloquutus (*Genes. cap. 48*): *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio, et arcu meo. Hanc autem partem fuisse beatae Virginis figuram omnes fatentur: tulit enim eam*

LIBER XVIII. BOMILIA MAGNA, ET ULTIMA

315

Carthagena de B. M. V. — Vol. III.

Deus de manu Amorrhaei in gladio, et arcu suo: non enim contentus fuit eum liberare in gladio, qui in propinquum suum efflicum operatur, eam in toto vitae curriculo servans ab omni actuali peccato, etiam veniali; sed etiam aren, qui in remotum vindictam operatur, praelibans eam ab originali. Fuit praeterea beatus Ioseph auctus super omnes homines: nam ceteris Christus Dominus partem sui commisit, caput praecursori Ioanni in baptismo praebuit, Ioanni Evangelistae pectus in coena, Thimaei Apostolorum Petro, et successoribus eius potestatem, et claves; sanctissimo autem Ioseph, ut cum conveniat illud (*Eccles. cap. 4*): *Unus est, et secundum non habet, certe Christus Dominus se totum integrum filiali affectu tradidit per multorum amorum curricula gubernandum, nutriendum, ac paternis officiis pertractandum. Fuit praeterea sanctissimus noster Ioseph accrescens, et auctus in zelo divinae gloriae, et conversionis animarum: nam si de patriarcha Ioseph, qui nostrum adumbrat, dixit divus Cyrillus episcopus Alexandrinus (*lib. 10. in Gen. ad fin. tom. 1*): *Ioseph enim additio Dei interpretatur: addita enim Ecclesia gentium gregebus Israel est, et in innumerabilem gentium se multitudinem propagavit, unde Saluator noster ait: Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor, (*Ioannis cap. 10*); quanto praestantius, et verius poterit hoc dici de sanctissimo sponso Virginis, de quo divus Bernardus Senensis (*tom. 3. serm. 1. de sanct. Ios. art. 2. cap. 1*) ait: *Credo, istum virum sanctum Ioseph fuisse sollicitissimum pro omnium salute ad similitudinem sponsae suae. Et Isolanus (*4. part. cap. 4*) ait: *Plus est Christum praedicare facto, quam verbo. Ioseph autem Christum factis summoque praedicavit; quibus quidem occasione universo praestitit orbi, ut converteretur ad adorandum verum Deum hominem factum. Itidem veri praedicatoris de sursum illuminantur, suo tempore loquantur, et ad verum Deum cognoscendum quosequuntur convertere conantur: Ioseph quidem ab angelis fuit illuminatus, quibuscum conversabatur, suo tempore loquutus est. Verba enim praedicatoris fumus sunt divini ignis in corde ardentis, atque in Christi cognitionem mortales ad vitam aeternam deducere satagentis: Ioseph multos per annos habitantem in Aegypto meditemur. An non credimus, illum sapissime exhortatum fuisse eos, cum quibus conversabatur, Aegyptios, ut Deum verum colerent? maxime quando confingeret eos audire Messiam, promissum in lege Iudaeorum, advenisse, et ut crederent, nervo se suasisset? Nec tantum beatus Ioseph praedicator extitit Apostolicus, sed etiam typus fuit, et exemplum praedicatorum, ut divus Hilarius (*sup. cap. 2. Matth.*) his verbis adnotat: *Ioseph sponsus Virginis circumferens Christum nunc in Aegyptum, nunc in Iudaeam, designat Apostolos Christum praedicantes Iudaeis, et Gentibus.*****

Fuit etiam sanctissimus Ioseph auctus, quantum nomen eius frequentissime in Evangelio

reperitum invenitur: ehenim (*Matth. cap. 1*): *Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*; et infra: *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph; ac deinde: Ioseph autem vir eius cum esset iustus; et postmodum: Ioseph filii David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; et rursus: Eurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praecepit ei angelus Domini*; et (*cap. 2*): *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph; et infra: Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto*; et (*Luc. cap. 1*): *Misus est angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph; et (cap. 2): Ascendit autem et Ioseph a Galilaea; et ibidem: Invenit Mariam, et Ioseph, et infantem; et (cap. 3): Putabatur filius Ioseph; et (cap. 4): Nonne hic est filius Ioseph? et alibi sub nomine parentis. Quod quidem mira Dei providentia gestum non dubitamus, ut optime advertit Albertus Magnus (*sup. Mis. cap. 47*) in haec verba: *It iustus apud Deum demonstratur Ioseph, cuius nomen, tanquam in libro vitae scriptum, in Evangelio signanter exprimitur, ut notus hominibus intelligatur, qui testis virginitalis beatæ Virginis adhibetur, ut nomen eius digne in memoria hominum velatur, qui in patrem Dei assumitur putativum. Et divus Bonaventura (opus. de vit. Christ. cap. 6): Vere de sancto Ioseph dici potest, ait, quod laus eius in Evangelio. Recte quidem in Ioseph convenit, quod de s. Iosia dicitur (Eccles. 49): Memoria Iosiae in compositione odoris, opus pigmentarii, in omni ore, quasi mel indubitablem eius memoria, et in musica in concivio vini. Est enim nomen Ioseph, ut (ibid. cap. 50) de Simone Onia filio dicitur: Quasi arcus fulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis, quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Et tandem non solum in terris apud homines, sed etiam in caelis apud Deum, angelos, et homines glorificatos, honorabile est hoc sacrum nomen, ut pulchre salis his verbis Isolanus (4. part. cap. 7): *Quantis plausibus, qua laetitia, quibus honoribus, ac praecentibus personae coelestem credimus Hierusalem, cum Ioseph nominat? quem parentem Deus ipse vocare dignatus est, quem Regina angelorum sponsum amatissimum alitue clamavit.***

His omnibus addo non sine maxima, et peculiari Dei providentia fuisse factum, nullum huius nominis Ioseph appellationem in Christi Domini Apostolatum fuisse admissum: ut enim constat (*Act. cap. 1*), Apostoli agentes de substitutione facienda in locum proditoris Iudae: *Statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, et Matthiam; et per divinum sortem electus, et praefatus fuit Matthias: Dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum ceteris apostolis. Ambo, Ioseph scilicet, et Matthias, erant Christi discipuli, ambo servi Dei; Ioseph tamen ab Apostolis primus nominatus: Statuerunt duos, Ioseph, qui cognominatus est Iustus, et Matthiam. Primo autem*

loco nominatus, solet ceteris paribus praeferi, ut habetur (*in l. quoties, ff. de usufructu*), et ex plurimis iuribus, et doctoribus resolvit Tiraquellus (*lib. de iure primogenitorum*). Unde d. Laurentius Iustinianus (*in conc. Sancti Matthiae Apost. post med.*) dixit: *Quis non praetulerit ex his Ioseph Iustum cognomento, et vitae et tamen aliter iudicavit omnipotens, cuius iudicia longe ab humanis dissimilia sunt. Quod si dicas duorum propositorum adhuc liberam esse cuiusque electionem ceteris paribus; certe in minus tantum electione ipsam contigisse videtur: nam, ut dicitur (*Aetor. cap. 4*) Apostolos Barnabas, cum antea Ioseph Barnabas, nomine Barnabae servato, Iosephi appellationem reliquit. Sane, ni fallor, haec illi contigisse arbitror, ut singularitas, et excellentia huius nominis Ioseph in beato nostro Ioseph solum effulgeret. Unde Isolanus (*parte 4. cap. 7. post medium*) ait: *Amicos Christus vocavit Apostolos, Iosephum patrem ipse Deus, et homo nominatus; et (3. parte cap. 18) sic ait: Sunt autem quatuor proprietates Apostolicae dignitatis. Annunciatio Evangelii: Eantem predicatæ Evangelium omni creaturae. Illuminatio: Vos estis lux mundi. Reconciliatio: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et per Spiritum sanctum loquitur: Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Haec proprietates dignissimae sunt, quia sunt immediate a Christo, et sub Christo, et propter Christum. Proprietates vero sancti Ioseph fuerunt, desponsatio Reginae coelorum, nominatio Patris regis angelorum, defensio Messiae promissi in lege Iudaeorum, educatio Salvatoris omnium. Et haec proprietates sunt immediate super Christum, ad Christum, et propter Christum. Quisquis ergo ingenio polles, rerum divinarum praemissa veritate discurre, argue, concludo ab Apostolicae comparatione maiestatis ad coelestem Ioseph dignitatem, quanta sit illi praestita dignitas, sanctitudo, ac virtutum inexplicabilis perfectio. Accede ad cor altum, et non deprimetur, aut humilior erit apud te maiestas Apostolicae culminis, sed exaltabitur Deus in latentibus donis patris sui putativi Ioseph. Quamobrem mens contemplationi dedita, ingrediatur locum, quem calcamus, refugit, intelligat animus, quod verba exprimeret declinant: admiratur ingenium, quod scripta non attingunt: veneretur denique totus homo quod coelesti lectum gloria laetetur; haec ille.**

Ex quo facile colligemus, valde rationi esse consonum, nostrum beatum Ioseph prae omnibus aliis, quaeunque ratione Christo Domino coniunctis, nomine augmenti pleno esse deorandum. Quod si, ut iura disponent, possit vir nobilis prohibere, ne quispiam alienae familiae arma sua deferat, aut maiorum suorum nomine appelletur, ut tradunt Bartolus (*in tract. de insigniis, et armis*), et Cassaneus (*in Catalogo gloriae mundi, 1. parte*), et Tiraquellus (*de nobilitate, cap. 6*); certe B. Ioseph omnium nobilissimus, et ex Davidica regali progenie descendens, iure poterat impedire, ne quispiam suo nomine insigniretur. Quod si ille, qui Christi corpus sepelivit, Ioseph est appel-

latus, divino consilio factum puta, quia sicut Ioseph noster, corpus saepe langore, pannis involvere, et altretate debebat, idem etiam illum praestare oportuit, ut divus Matthaeus (*cap. 27*) narat: *Venit quidam homo dices ab Arimathea, nomine Ioseph, qui et ipse discipulus erat Iesu; et accepto corpore, Ioseph involvit illud in syndone munda, et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Cum igitur hic fuerit in locum, et ministerium nostri beati Ioseph quodammodo substitutus, mirum non est, si eodem nomine gaudeat, cum subrogatus sapiat vicem eius, in cuius locum subrogatur, ut habetur in 1. decernimus, ubi Bartolus C. (*de aqueductu lib. 11*), et resolvit Tiraquellus (*de iure primogen. quaest. 40*).*

§. III. DE PULCHRITUDINE CORPORALI, ET SPIRITUALI D. IOSEPHI, UBI DE QUADRUPLEX EIUS IUSTITIA.

Cum corporis pulchritudine naturali Dei donum sit, ut dixit d. Augustinus (*lib. 15. de Civ. cap. 22*), ambigendum non est, Christum, Mariam, et Iosephum, inter quos mira fuit conformitas, naturali pulchritudinis dote minime caruisse. De Christo Domino id cecinit regius vates (*Psal. 44*): *Speciosus forma prae filiis hominum: de utraque enim pulchritudine spirituali, et corporali loquutum fuisse ibi Davidem, testatur divus Thomas (in commentario huius loci), ubi in eius confirmationem adducit verba divi Augustini de Christo dicens: Nobis cernentibus ubique speciosus, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher deponens animam, pulcher in patibulo, pulcher in limbo, pulcher in coelo. Beatam autem Virginem pulchram commendat sponsus, ut Lunam (*Cantic. 6*), et ibidem: Pulchra es, suavis, et decora: super quae verba Ugo de sancto Victore ait: *Quam pulchra, et suavis, quam scrutator rerum probat, quam inspector cordium laudat, quam diligit auctor pulchritudinis, cui testimonium magister veritatis praebet. Divum tandem Iosephum pulcherrimum fuisse, ita ut post Virginem matrem nullus fuerit Christo similior, docuerunt Iustinus Martyr (in *Dialogo contra Triph.*), et Lexicon Theologicum verbo Ioseph, et doctissimas Gerson Cancellarius Parisiensis (in *serm. de Nativ. b. Mariae*), habito in Concilio Constantiensi, et (in *sua Iosephina*), auctor summae Margaritae confessorum, qui (in *quaest. ultima ex moral.*), quas posuit in laudem sanctissimi Ioseph, compendiose dixit: *Ioseph fuit Christo similissimus, et per consequens formosissimus. Et Bernardinus Batusensis (4. parte serm. 12), et Isolanus (4. part. cap. 9. et 1. parte, cap. 11. et 12), idque iam, ut commune receptum est apud fideles, ut quam plurimi nostri temporis scriptores ingenue fatentur, et ratio optulatur; tum quia teste Aristotele (*lib. 2. de anima****

cap. 4. textu 34), naturalissimum est omnibus viventibus, natura non errante, generare sibi simile, non solum secundum essentiam, sed et secundum accidentia corporalia. Ethiope generat Ethiope, leprous leprous, pulcher pulchrum; sanctissimus autem Ioseph perpulchros habuit parentes; quos refert divus Matthaeus in eius genealogia, Davidem, Salomonem, Iacobum, Thamarum, et alios etiam proximiores, et in eo terminata fuit linea regiae illorum prosapiae: quos autem credat in deformitate fuisse terminatam? Tum id colligitur ex fine, ad quem fuit ordinatum matrimonium inter Virginem, et Iosephum, scilicet propter honorem Virginis debuit conservandum, et ipsi etiam Christo Domino, ut filius Ioseph putaretur, ut Patres omnes adnotant at Christus Dominus speciosus fuit super filios hominum: ergo, ut facilius finis filiationis putative obtineretur, oportebat Iosephum esse similem Christo, atque adeo pulcherrimum: quod egregie sic cecinit Gerson (in *sua Iosephina, in fine*):

Persons inter similes est nexa amoris, De Ioseph ratio suadet, sua quod facialis, Forma Iesu ferme similis reputanda fuisse, Si non quo pacto pater eius creditus esset, Qualiter omnino matris servasset honorem? Disparitas vultus proli cum patre putato.

Unde in dubio illius, cuius filius esse putatur, cuius faciem, formaque refert, iudicatur; ut si dabitur, utrum filius sit prioris, an posterioris mariti, ut tradunt Dyus (*in lib. 3. l. si duobus fil. de adimendis legatis*), Albericus (*in l. 7. mense, circa med. ff. de statu hominum*), Iason, et Doctores (*in l. Gallus, in princip. ff. de liberis, et posthumis*), Baldus (*consil. 390*), Fulgositus (*cons. 212*), Alciatus (*in l. quaeret. ff. de verb. significat.*), et alii, quos refert, et sequitur Tiraquellus (*in lib. 7. conub.*). Et quidem, ut philosophorum more loquar, individuatione est de substantia individui; anima autem individuat per ordinem ad corpus, atque adeo, quo melius fuerit corpus, meliorem sortietur animam, quae occasione corporis, et dispositionum ex nihilo creatur a Deo, ut tradit divus Thomas (*lib. 1. contra Gentes cap. 3*). Ut autem loquitur Isolanus (*1. part. cap. 11. in principio*), anima sanctissimi Ioseph fuit ab aeterno a Deo electa, et in utero matris sanctificata, et miris donis, et graliis orata, ut possit esse dignus Virginis sponsus; igitur tali animae corpus pulchrum, et recte compositum, erat debitum, dicente divo Ambrosio (*lib. 2. de virginitate*): *Species corporis simularum est mentis, figuraque probitalis: quae sententia apud theologos, et iurisprudentes, nec non apud philosophos, et humanarum literarum professores celebris est. Nam et Socrates in Phaedone Platonis sub nomine pulchri equi, et equitis argumentum, bonam corporis effigiem bonae mentis innuitum esse, aut certe adimentum: et insignis latini nomine Pagatus (in *Panegyrico ad Theodosium imperatorem scripto*) eleganter dixit: *Virtus tua meruit imperium; sed virtuti addidit forma suffragium: illa praestitit ut oporteret te principem fieri. Quam autem eximia fuerit in-**

terna animi pulchritudo divi Iosephi, ex interiori eius sanctitate, et puritate, in qua animi decor, et pulchritudo consistit, facile erit colligere: tanta illa extitit, ut nulla unquam fuerit proximior, et similior puritati, et munditiae beatæ Virginis: ita docuit Gers. (*serm. de Nativ. Mariæ in exord. consid. 1*): *Sicut decuit, inquit, ut Maria tanta puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi, ut ait Anselmus, ita decuit ut s. Ioseph tanta praerogativa polleret, quae similitudinem, et convenientiam exprimeret talis sponsi ad talem sponsam, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Idque facile mihi persuadeo, primo, quia puritas causaliter per recessum a contrario, id est, ab omni contagione, et immunditia; sed sanctissimus Ioseph per sanctificationem in utero, per extinctionem, sive fomitis repressionem, et per confirmationem in gratia, recessit ab omni peccato mortali, ut idoneus sponsus beatæ Virginis, et Christi pater putalvis, secundum aeternam Dei electionem idoneus inveniretur: ergo eius puritas puritati beatæ Virginis quam similissima fuit, ne impar impari, et dissimili coniungeretur.*

Secundo, quia ubi adest omnimoda causa conservandi, et augendi puritatem, ibi puritas in perfectiori gradu viguisse censenda est; b. autem Ioseph propter commune cum Christo, et Virgine continentium, habuit opportunam satisfactionem, ut puritas eius adeo cresceret, et proximior esset puritati b. Virginis: prudenter ergo philosophamur, ita de facto contingisse: et quidem si laudatur, et merito, puritas patriarchæ Noe, quia semel cum eo locutus est Deus, (*Gen. c. 6*), et laudatur puritas Abrahamæ, quia præcepit ei Deus exire de terra sua, (*Gen. 12*), et laudatur puritas Iacob, quia semel vidit Deum innitentem scalæ, (*Gen. 28*), et laudatur puritas Moysis, quia cum Deo amice loquebatur, (*Exod. 3*), et laudatur puritas Samuelis, quia Deus vocavit, et excitavit eum dormientem, (*1. Reg. c. 3*), et laudatur puritas David, quia secundum cor Dei erat, (*1. Regum. 6*), et laudatur puritas prophetarum, quia sub diversis figuris Deum viderunt, unde videntes fuerunt appellati: ac tandem laudatur puritas Marthæ, Magdalænæ, et Lazari, quia Christi hospitio receperunt, nec non et puritas Apostolorum, quia eum viderunt, audierunt, et doctrinam eius susceperunt; quanto maioribus encomiis exaltari debet puritas nostri Ioseph, qui per tot curricula annorum cum Christo Domino, et Deipara tam familiariter fuit conversatus? Nam si ex consortio sermonis Domini facies Moysis splendore adeo coruscabat, ut non possent in eam lateri filii Israel, ut legitimus (*Exod. 34*), quanto magis puritatem s. Ioseph, ex tam antiqua, et frequentissima communicatione, et familiari consortio cum Christo, et Virgine, irradiasset, et splendens credendum est, cum id, teste divo Clemente Alexand. (*lib. 6. Stromat.*) quotidie experiamur in his, qui per frequentem, et famuligeram communicationem, ad Deum accedentes, in dies magis illuminantur? Gravissima s. Clementis Alexandrini verba sunt hæc: *Certe sicut Moysi ex iusta operatione, et ex eo, quae*

continenter ei intercedebat cum Deo loquente consuetudine, cultui insidabat gloriificanda quaedam coloris species, ita etiam iustæ animæ dicina quaedam vis bonitatis inherens, per inspectionem propheticam, et administrantem operationem, quasi intelligentis illuminatam, perinde, atque calor solaris, imprimi quoddam apertum iustitiae signaculum, lucem annuam unitam per charitatem, quae nullo spatio distinguitur, quae Deo afflat, et Deo afflatur; hæc ille.

Tertio, quia divus Thomas (3 parte q. 27. art. 5 in corpore) dixit: quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii; et sic quod magis appropinquat soli, maiorem claritatem, et illuminationem recipit, et quo magis aliquid appropinquat igni, fit magis calidum, et similiter aqua clarior, et purior profuit, quando minus distat a fonte, et principio. Unde sanctus Dionysius (*de coelest. hier. cap. 4*) asserit, quod angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participat de bonitatibus divinis, ut verbis eius loquar. Duo autem principia in ordine supernaturali subordinata cernimus. Primum est Christus, de quo Evangelista Ioannes (c. 1): *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia, et veritas per Christum Iesum facta est.* Unde d. Thom. (3. p. q. 27. art. 1. in corp.) dicit: Christus autem est principium gratiæ, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter. De cuius principii plenitudine nos omnes accepimus, scilicet omnes Apostoli, et Patriarchæ, et Prophetæ, et iusti, qui fuerunt, sunt, et erunt, et etiam omnes angeli. Secundum principium illi primo subordinatum, beatissima Virgo est, quae propterea gratia fuit plena, et superplena, ut in nos illam effunderet, prout d. Bernardus his verbis eleganter edixit (*sermone de Assumptione*): *Quis vacuum dixerit, quam salutem angelus gratia plenam. Neque hoc solum, sed adhuc quoque superenturum in ea asserit Spiritum sanctum: ad quid putas, nisi ut etiam superimpleat eam? ad quid, nisi ut advenientiam Spiritu plena sibi eodem superveniente, nobis quoque superplena, et superfluens fiat? O foemina plena, et superplena gratiæ, de cuius plenitudinis eundantia respersa, reviviscit omnis creatura. Cum igitur his duobus totius puritatis principii Christo, et Maria, divus Ioseph fuerit prae omnibus aliis Sanctis coniunctior et propinquior, merito censendus est amplius prae omnibus de utriusque puritate participasse: et quidem si ea ratione b. Virgini concessa esset perfectior puritas, quia immediatius ordinabatur ad Christi humanitatem; consequens est, quod cum post Virginem nemo intimius, quam Ioseph ordinatus fuerit ad eandem Christi humanitatem nutriendam, alendam, et fovendam, ipse, excepta Virgine, purissimus omnium fuerit.*

Porro sub nomine iusti, quo sacra eloquia divum Iosephum cohonestant: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus, miram eius animi pulchritudinem commendari arbitror.* Unde Rupertus (*lib. de gloria et honore filii hominis su-*

per cap. 1. Matth.) ait: *Ioseph prius inaudita credidit, scilicet quod ipsa, quae conceperat, virgo esset, et statim obedivit Deo credulus, puellæ benevolus, cautus vir iustus, et exinde iustissimus: et patens inferis: Hic percontari libet, quare timorem eiusmodi Virginem occulte dimittit, Deus illi cœnare permisit? Quare non prævenit? quare hunc ipsum angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea, tunc scilicet, quando misit ad Virginem, quae et desponsata erat? videlicet, ut tentaretur, et manifestum feret tam sanctis angelis, quam nobis hominibus de ipso, quod esset iustus, et talis, qui digne sic deberet appellari Ioseph filius David. Sic etenim idem patere eius David maluit exultare, quam uti permisso legis dicens, ut falso Hebraei commentantur, Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Tradiderat Dominus in manu eius Saulem illum odientem, et persecutentem: Et nunc, ait Abisai, perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit. At ille: Fecit Dominus, quia nisi Dominus percussisset eum, aut dies eius venerit, ut moritur, aut in praetium descendens, perierit, propitius sit mihi Dominus, non excedam manum meam in Christum Domini. Fuit ergo Ioseph insigniter filius David, iustus in verbo, iustus in facto, iustus adeo in legis consummatione, ut merito de eo dici possit illud (*Machab. 2*): *Ioseph in tempus angustiae suae custodit mandatum, et factus est Dominus Ægypti.* Multo præstantius id convenit nostro Iosepho, quem iustitiae decor, in quo sita est puritas animæ, multifariam, multisque modis eum exornavit: nam quod attinet ad iustitiam universalem, quae cunctas virtutes complectitur, ut docet Albertus Magnus (*super Misus est cap. 46*), in d. Iosepho mirifice emicuit: nam s. Clem. Alexand. (*lib. 6. Stromat. post med.*) hæc placida de proprietatibus, et conditionibus hominis iusti dixit: *Est ergo iustitia quadrata, omni ex parte aequalis, et similis in verbo, in facto, in abstinentia a malis, in beneficentia, in perfectione cognitionis, nusquam ullo modo claudicans. Appellat s. Clemens iustitiam, omni ex parte quadratam, propter stabilitatem quatuor virtutum cardinalium: etenim, ut nolavit Abulensis (*in Exod. ca. 15. q. 15*) iuter ceteras figuras nulla stabilior atque firmitior est, quam quadrata: nam quacunque ratione ponatur, semper stans, ac firma persistit: non movetur, nec in diversa gyrat. In cuius signum ait Beda (*lib. 8. de templo Salomonis ca. 4*), Templum Salomonis ex lapidibus quadris edificatum fuisse, sicut intelligendum esse, quod dicitur (3. Reg. 6): *Domus autem cum adificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis aedificata est.* Rex etiam Medorum, ut dicitur (*Judith cap. 1*): *Aedificavit civitatem potentissimam ex lapidibus quadratis, et sectis.* Unde apud antiquos sapientes quadrata figura hominem iustum, et virtute praeditum portendebat, ut docet s. Thomas (*lib. 9. Metaphys. lect. 8. et lib. 2. de anima lect. 3. in princ.*): quod et Pierius (*in suis Hieroglyphicis lib. 36. cap. de quadrato*) luculenter tradit: et expressius Aristot. (*lib. 4. Rhetor. ad Theodectem cap. 11*): *Iustum quemque, ait, appellari quadratum***

propter quatuor virtutes cardinales, eum circumstantes. Unde de iusto dicitur (*Ecc. 27*): *Iustus permanet, ut sol.* Sic Iob quasi quadratus, utroque consolations, et tribulationis tempore dicebat (*Iob 6*): *Qui cepit, ipse me conterat.* Sic Paulus (*Rom. 8*): *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia? Unde quaeso hoc? non aliunde profecto quam ex doctrina magistri veritatis, dicens (*Matth. 7*): Assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram. Nostro sanctissimo Iosepho plane hæc conveniunt, qui in maxima tribulatione positus, semper firmus, semper stabilis, nunquam minus habens inventus est. Quod sanctus Chrys. (*homil. 5. super Matth.*) animo volens, sic admiratus in hæc verba prorupit: *Vidisti Ioseph obedientem? vidisti animum facile sacris sermonibus fidem accommodantem? vidisti mentem omnino vigilentem, et nulla prorsus corruptione violatam? Constat ergo virum hunc excellentissimum quondam alligisse iustitiae universalis gradum: fundatus enim erat supra firmam petram quatuor virtutum cardinalium, excellentissimum multo, quam alter Ioseph Patriarcha, ipsis figura, et imago), de quo Eusebius Casar. (*lib. 7. de praepar. Evang. cap. 3. in fine*) dixit: *Merat enim Iosepho libertas animi, maxime robur inventum, pudor eximius, iustitia, modestia, prudentia summa: sed pietate in verum Deum maxime praestabat, etaque mirabilis corporis praeditus formositate, qua adolescentia virtutibus ornata insignis videbatur.***

Verum iustitiam Iosephi altius mihi contemplanti, plane videtur iustus existisse in omni iustitiae genere. Primo in legali iustitia, quae singulos dirigit homines ad operandum pro communi republicae bono, cum revera ipse non tantum pro antea Republicae, aut unitus, aut alicuius regni utilitate, et bono operatus sit, sed et pro totius orbis, ut satis indicant verba angeli: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Unde sanctus Bernardus (*homil. 2. super Misus est*) dixit: *Hæc Christum panem vicum servavit sibi, et toti mundo.* Secundo fuit iustus iustitia distributiva: nam cum esset divinae possessionis Princeps, Christique Domini, et Virginis Deiparæ, superior reddebat quod Christi erat Christo, et quod Virginis Virginis, dividentibus singulis, prout cuque opus erat, et quod eorum unicum debebatur, Virgini solatium, Christo nutrimentum, tutelam, et vigilantiam. Tertio fuit iustus iustitia commutativa inter particulares personas: hanc enim clare ostendit, dum noluit Virginem praegenatam traducere, sed eam occulte dimittere: reddidit enim Virgini, quod suum erat, nam cum suspicio addullerit esset criminis occulti, et omnino iudicialiter improbabilis, ius eam practice accusandi non habebat, maxime, quod cum vero, et essentiali matrimonio essent copulati, et in eadem domo habitacionem communem habuissent, foetum ex matrimonio processisse iudicandum et praesumendum erat, ut habe-

tur (in l. filium ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris): quod etiam verissimum putant Doctores, quamvis adulterium probaretur iuxta (l. miles §. defuncto ff. de adulteris), et tradunt Greg. Lopez (in l. 1. tit. 14. p. 2. gl. 5.), et Navarr. (lib. 4. cons. tit. 10. de frigidis, et maleficiis consil. 3.), et in nostris terminis d. Thom. ex d. August. (super c. 1. Matth.) haec docet: *Duplex est peccatum, scilicet peccatum occultum, et peccatum manifestum: peccatum enim occultum non est publice arguendum, sed aliter est ei remedium adhibendum: suspicio ergo adulterii, quam habuit Ioseph, erat suspicio peccati occulti, et non manifesti, quia ipse solus sciebat: et iterum: Si alii scirent eam gravidam, non possent opinari, nisi quod de ipso esset, et ideo erimen eius non debuisset prolapasse. Et Abulensis (super cap. 1. Matth. quaest. 34. in medio) ait: Istum modum accusandi in iudicio humo non poterat tenere Ioseph. Primo quia non constabat, an fuisset adulterium: nam dato quod appareret de conceptu, non autem constabat, an ante contractum matrimonii fornicata esset, vel postea, quia sic prius non erat adulterium; et tamen istud non erat possibile probari, saltem quo ad usque pareret Maria; licet aliter tunc non fiebat firma probatio, quia non habebat testes aliquos Ioseph ad probandum istud adulterium; et accusatio non valeret, imo potius ipse condemnaretur, quia deficiebat in probatione obiecti criminis per accusationem: et dato quod appareret, eam esse praegnantem, non tamen secluso testimonio constaret de ista negativa, scilicet, quod ipse non cognovisset eam, cum et sponsa eius esset, et cum illa cohabitaret.*

Porro hoc loco quorundam prudenti obiectio satisfacere non praetermittam, qui asserunt, Iosephum in actione nolendi accusare sponsam, pietatem potius quam iustitiam exercisere, atque adeo propter illud opus magis pium, quam iustum dicendum fore. Verum notum hunc sapienter satis solvit d. Petrus Chrysolog. nam (serm. 145. qui primus est de gener. Christi), explicans verba Matthaei, Ioseph autem cum esset iustus, sic ait: *Hoc pio magis videtur convenire, quam iusto, sed humano iudicio, non divino: penes Deum neque pietas sine iustitia est, neque sine pietate iustitia: quia aequitas sine bonitate saevitia est, et iustitia sine pietate crudelitas est. Ioseph ergo merito iustus, quia pius, et pius, quia iustus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit: dum causam temperat, iudicium custodit: dum vindictam differt, crimen evasit: dum refugit accusatorem, fugit saevitiam: et Beda (sup. c. 1. Matth.): Ea quippe, ait, iustitia iustus erat Ioseph, et misericorditer propinqua consuleret. Iustus erat, de quo Scriptura dicit: misericordiam vole, et non sacrificium, non ex qua Scribae, et Pharisei elati, iustos se, quasi oemulatores legis aestimabant, cum crudeliter proximorum sanguinem effunderent propter transgressionem legis, quam nequaquam ipsi observabant. Certe in eo clarior iustitiam cum mirabili mansuetudine coniunctam ostendit d. Iosephus, quod noluit Virginem tradere ad sacerdotem pro sacrificio zelotypiae, iuxta (cop. 5. Num.) quod libere poterat facere, quamvis ad id ex prae-*

cepto minime cogerebatur: quia ius hoc introductum a Deo fuit in favorem maritorum ad amovendam adulterii suspensionem, quod inter maritum, et uxorem, imo et in tota familia pacem turbat; et ideo poterat tali iuri renunciare, ut habetur (in capitulo si diligenter de foro compet.) quia quod alicuius voluntati permittitur, non subdicitur iuris necessitati, ut Papinianus docuit (in l. non quidquid ff. de iudicis). Alias enim introductum in mariti favorem, in eius laesionem, et odium retorqueretur (contra l. quod favore C. de legibus). Et sic pietate ductus noster Ioseph, utens iure suo noluit Virginem tradere, noluit potestate adducendi eam ad sacerdotem pro sacrificio zelotypiae uti. Unde merito s. Chrysostomus (sup. Matth.) virum in omnibus nostrum nominat Iosephum, qui in hac maxima postum tribulatione invocavit Dominum, et exaudivit eum in abscondito tempestatis, et probavit eum apud aquam contradictionis, et aquam scilicet zelotypiae; et cum posset Virgini facere malum, et molestiam inferre, noluit ex pietate facere, et probatus, perfectus inventus est, et critique illi gloria aeterna. Ex quibus omnibus ego mihi facile, nec temere persuadeo, d. Iosephum iustitiam, et sanctitatem omnes Sanctos, una eius sponsa excepta, longe antecellere. Nec quicquam obest huic Iosephi excellentiae, quod generaliter b. Paulus (ad Rom. 8.) dixit: *Nos autem primitias spiritus habentes*, quibus apostolos omnibus sanctitatem praefert: nam cum noster Ioseph nutritus fuerit Christi, minime in illa generali praeferentia venit intelligendus. Nam sicut imperatores Severus, et Antoninus (in leg. 1. C. quae res pignori oblig. pos. vel non), imperatoria potestate in hunc modum statuerunt: *Alumnos tuos, et ceteras res, quas neminem credibile est pigriori specialiter daturum fuisse, generali pacti conventionem, quae de bonis tuis facta est, in causa pignoris non fuisse rationis est: ubi Glossa (cop. 1) sic explicat: Alumnos scilicet qui te aluerunt; illa cum sanctissimas Iosephi Christi Domini carnis fuerit nutritus, eumque vivens semper aluerit, in generali illa regula, qua Paulus apostolus omnibus praefert, non debet intelligi comprehensus, imo ab ea iure tantae dignitatis exceptus.*

DE SANGUINE NOBILITATE D. IOSEPHI, ET DE IN MIRO SPLENDORE STEMMATUM EIUS.

Videbitur fortasse cuiquam frustra me d. Iosephi praecentia a nobilitate generis petere, d. Paulo dicente (1. Cor. 1): *Non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles, sed ignobilis mundi, et contemptibilia elegit Deus: super quae verba Glossa ordinaria ait: Venit Deus humilis querens humiles, non altos.* Sed non recte iudicabit; tum quia d. Paulus ibi loquitur de Apostolis, per quos convertendus erat

mundus; oportebat autem illos esse plebeios, et indotos, ne eorum nobilitati, et sapientiae ascriberet operat id, quod Deus per ministerium istorum operabitur, et sic crux Christi evacuaretur. Non autem congruebat, ut domestico famulatu Christus Rex regum ab ignobili homine nutriretur, cui, ut ait (Dan. c. 7): *Angelorum millia millium ministrabant, et decies milies centena milia assistebant ei: tum quia, ut recte dixit d. Ambrosius (sup. cap. 1. Luc. in princ.): Non solum mores in his, qui praedicabiles sunt, sed etiam parentes oportet laudare, ut velut in transmissae immaculatae puritatis haereditas in his quos volumus laudare, praexcellat: etenim nobilibus sanguine parentibus nati, quasi quadam necessitate constringuntur a maiorum suorum probitate non degenerare, ut his verbis eleganter dixit divus Hieronymus (in epist. ad Paul. et Eustoch.): *Nobilitas videtur esse quaedam laus de meritis veniens: quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror non solum, ut imposita nobilitas necessitudo videatur, ut a maiorum virtute degenerent. Et quidem si generis nobilitas nihili facienda esset, nec ad Dei obsequium deservire posset, minime divina eloquia loties illam commendasset: legimus autem (Deuter. 1) populo Dei Moyses dixisse: *Tollite de tribubus vestris viros sapientes, et nobiles, et constituam eos principes, tribunos, et centuriones: et (Eccles. cap. 10) dixit: Beata terra cuius rex nobilis est; ubi Glossa ordinaria adiecit: *Nobilitas moribus, et genere: ac tandem primum, quod senex s. Tobias precreatione quaesivit a viro, filium suum comitatur, quem Raphael archangelum esse ignorabat, fuit, de qua domo, et tribu originem duceret: *Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu? Qui cum respondisset: *Ego sum Azarias Ananiae magni filius; tunc Tobias dixit: *Ex magno genere es tu. Unde tunc magna confidentia filium suum ducendum ei commisit, dicens: *Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro (Tob. 5). Et quidem sicut legimus (1. Machab. 3): *Rex Antiochus reliquit Lydian hominem de genere regali super negotia regia, et ut nutriret Antiochum filium suum; dubitari non potest de summa Dei sapientia, quia nigenitum filium suum Ioseph educandum minime tradidisset, nisi ex nobili sanguine oriundus esset: quia enim ignorat nobilitatem naturalem cum spirituali coniunctam, ad virtutis exercitia, calcaria addere, et eius impedimenta remove? tunc namque habet homo cor bifarium praeparatum: iuxta illud (Psalm. 107): *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Et quis quaevis ignorat, duo vincula simul copulata, fortiora esse uno? ut ait Iustinianus (in §. affn. insti. de nupt.). Nobilitas ergo cum virtute coniuncta, est veluti fontalis aqua, et superna pluvia abundantius affluens: vel ut currus, equorum velocitate, et aurigae industria ad destinatum locum ducens: vel ut navigium, remis, et velis in gentibus cursum navigationis peragens: vel ut arcus sagitta pensis suis, et impulsu se proficiens, ad longissimum perveniens locum: vel ut aurum cry-**********

stallo interpositum, mira colorum varietate distinctum: vel ut murenulae aureae argenteo variculatae, quibus sponsa ornabatur: vel certe, ut gemmula carbunculi in ornamento auri, ut ait Sapiens. Decaisse igitur b. Iosephum clarissimo sanguine oriundum, dubitari non potest. Ita autem de facto conligisse sacra contestantur eloquia, dum tradunt, ex stirpe ac regia Davidis prosapia, sicut et b. Virginem fuisse: etenim (Num. 36) habentur haec verba: *Omnes viri ducent uxores de tribu, et cognatione sua, et cunctae foeminae de eadem tribu maritosis accipient, ut haereditas maneat familiaris, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneat, ut a Domino separatae sunt. Cum ergo beata Virgo desponsata fuerit Ioseph, consequens est illum fuisse eiusdem familiae, et prosapiae cum illa. Sed et clarior idipsum constat ex evangelico eloquio: nam divus Lucas (cap. 2) inquit: *Ascendit autem et Ioseph a Galilea de civitate Nazareth in Iudaeam civitatem David, quae vocatur Bethleem, eo quod esset de domo, et familia David. Unde d. Chrysostomus explicans genealogiam Christi, quam d. Mattheus narrat per progenitores Ioseph, in hunc modum sapienter loquitur est: *Cum multae essent ex tribu Iuda familiae, non utique omnes a David genus trahant; sed ne istud hic diceret, proveniens Evangelista prorsus occultis suspicionem tuam, non solum ex domo, verum etiam ex familia David illum esse confirmans. Cum igitur linea recta d. Ioseph originem ducat, ut tradit d. Mattheus (cap. 1) ex patriarchis, et ducibus, et ex regibus; liquido constat, Iosephum sanguine nobilissimum fuisse. Quia tamen nobilitas ex multiplice capite consurgit: idcirco nobilis auctor Isidorus de Insula. (in vit. s. Ios. 1. part. cap. 7) ad novem capita illam reduens totidem modis tradit, nobilem fuisse d. Iosephum: verba eius sunt haec: *Advertendum est, nobilitatem hominis in tribus considerari, in causa, in substantia, et in sufficientia: in causa, si a nobili origine principium ducat, quae in s. Ioseph excellentissime fuit; nam in origine illius triplex inventa fuit dignitas: prima corporalis; secunda spiritalis, tertia coelestis: prima regalis, secunda sacerdotalis, tertia prophetalis; et haec coelestis, quia futura praedicere, domum Dei est: David enim Rex fuit, Abraham patriarcha, Nathan propheta, a quibus originem ducit Ioseph. In persona vero sua tripliciter pariter possedit nobilitatem: fuit namque iustus nomen, dignitate, reginae coelestis sponsus, officio, Dei nutritus, ac pater putativus. In sufficientia itidem triplicem effectum praeclearissimum nobilitatis tunc universo produxit: nam Salcatorem mundi suo excepto hospitio, deduxit per longa terrarum spatia incolam suum servitio, proprio labore et exercitio per multos annos eum nutriti. Hi sunt novem radii nobilitatis sanctissimi Ioseph, quibus solo clarus praestantissima illius nobilitas mortalibus explanata redditur. Ex his tamen non brevitati consulendi gratia splendiores ac praestantiores pro modulo nostro illustrare salagenius. Et quidem in primis praestantissimam omnium nobilitatem esse illum, quae ex virtute, et sanctitate oritur, constantissimum mihi est: nam, omisso illo poetico pro-****

verbo, dicente:

Degenerant homines istis, fiantque minores:
Exaltat virtus, nobilitate genus;

certe ad interrogationem illam, qua quidam Pocar-
tarum quaesivit:

Si pater est Adam cunctis, si mater et Eva:
Cur non sumus omnes nobilitate pares?

Ego eam legitimam responsionem esse reor, quod licet unus sit Adam omnium parens, ab ipsa tamen prope mundi origine ignobilitas, et nobilitas ortum habuit: nam hi, qui virtute maxima praeclearis gestis noti fuerunt, reputati sunt nobiles, ut incipientes a filis Adam invenimus Abel iustum, et virtuti deditum, nobilem fuisse; Cain vero ex malis operibus ignobilem: et postea cum omnes homines in diluvio perierint, et nobilitatem retinuerunt, et in posteris propagaverunt; tertius vero Cham ob nudum patrem ebruium derisum, ab ea decedit, auditque a patre suo: maledictus Chanaan, servus servorum erit fratris suis, (Gen. 9). Servitum autem quis non videat ignobilitatem praeferre? Unde divus Chrysostomus (hom. 59. sup. cap. 17) quorundam licet alioquin nobilium miseram servitum in haec verba describit, et deplorat: Nihil prorsus libertatem animae sit tollit, quemadmodum saecularium rerum cupiditas, et eorum quae videntur esse praecleara: non enim sibi vivunt, sed alteri, et mille crudelibus dominis huiusmodi homines premuntur, quos si recensere placet, aliquem ex his, qui apud reges plurimum possunt, nobis proponamus, cui magna rerum affluat copia, ingens potentia, patriae splendor, maiorum nobilitas, ad quem universa pene respiciat civitas. Consideremus igitur an iste servus omnium subiectissimus sit? servus enim quilibet unicum habet dominum, quem si bene egendo propitium sibi faciat, sine aliqua cura quiete vivit; ille vero quem admiraris, non unum, aut alterum, sed multos, et importunos sibi dominos acquisivit. Dominatur ei primo rex ipse: non est autem aequalis obiectum habere dominum, et regi servire, quorum aures multorum verborum exponitae sunt, ut modo hi tibi, modo illi persuadent. Quare quancumque nullus mali sibi conscius sit, qui regi servit, omnes tamen timet tam patrem, quam sibi subiectos, et tam amicos, quam inimicos: servus enim neminem timet, quia nemo est, qui intideat, neque qui velit, isto expulso, ad eandem se introducere servitum, et sic nullus est, qui velit ei insidias tendere: multi vero sunt, qui nulli alii rei student, quam illum, qui proximus regi est, a statu eicere: quare omnibus adversari cogitur, maiori, aequali, amicis. Quia, quemadmodum qui eodem artificio quaestum habent; sic omnes qui unam rem in saeculo appetunt, sincero nequeunt amore coniungi, unde fit, ut bellum intus sine inducis semper geratur; haecenus ille. Unde divus Gregorius Nyssenus (in quadam orat.) nobilitatem in propinquitate

ad Deum his verbis sapienter constituit: Una est generis amplitudo, propinquitas cum Deo, quae non casu cuiquam contingit, quemadmodum munda claritudo generis, quae etiam ad improbos defertur, sed quae non alicui, ac electione voluntatis acquiri possit. Et d. Gregorius Magnus (super 1. Reg. cap. 9) ait: Nobilis dicitur, qui a superna conversatione conspicuus est, et de mundanae vitae rusticitate nihil habet: inde enim nobilis, inde ricis. Ac tandem divus Hieronymus (in epist. ad Demetr. de virginitate) sic loquitur: Ille clarus, ille sublimis, ille sit nobilis, ille tunc integre nobilitatem suam se servare putet, si dedignetur servire vitis, ab eisque non superari. Divum ergo Iosephum hac praestantissima nobilitate, ortum habente a virtute, et iustitia, per quam Deo efficitur propinquus, et, ut ita loquar, spiritalis consanguinei, insigniter fuisse praeditum, et illustratum, luculenter satis evangelicum eloquium attestatur dicens: Ioseph autem vir eius cum esset iustus: super quae verba divus Hieronymus ait: Ioseph vocari iustum attendit propter omnium virtutum perfectam possessionem. Si ergo vera nobilitas sita est in virtute, et beatus Ioseph adeptus est possessionem illius perfectam; consequens est perfecta clarissime nobilitate. Unde praecclare quendam Isidorus Isolanus (de vita d. Ioseph. 1. part. cap. 6) haec in idem argumentum scripsit: Sanctissimum Ioseph omni nobilitate claruisse, excoelereque eius sanctitatem propter castam generationem iuxta illud (Sap. 4): Qui quam pulchra est casta generatio cum claritate? sino talis est enim memoria illius, quoniam, et apud Deum nota est, et apud homines satis liquet. Sanctitas enim et nobilitas Ioseph excellit gemis, andique circumdata radiantibus: nam regio radiat praeclearissima nobilitate, ante radiat nobilissima humilitate, supra radiat praestantissima dignitate, infra radiat mundissima peccatorum immunitate, intus radiat virtutum magnificentissima puritate; a dextris erga Deum radiat ardentissima charitate; et a sinistris in proximum radiat ineffabili pietate. Sed praeter haec ex eo etiam capite, quod S. Ioseph fuerit maritus Deiparae Virginis, illamque haberit in veram suam coniugem, iuxta angelicum oraculum (Matth. 1): Ioseph noli timere accipere Mariam coniugem tuam, opus fuit excellenti nobilitate conspicuum esse, cum nubentem reginae consequens est regem fieri; quis autem non videat dignitate regia, ac regali splendore, magnam comparari nobilitatem? Licet enim verum sit, nobilitari mulierem ignobilem nuptam viro nobili, quia efficitur de familia mariti, ut habetur (in l. fin. C. de nuptis), ubi, vxor marito consecret, et sentiat eius fulgorem: et clarus (in l. fin. C. de incolis lib. 10) ubi, mulieres honore maritorum eriguntur, et generi nobilitatem: non tamen e contrario, quando mulier quantumcumque nobilis nubit viro plebeo, quia vilem mariti conditionem sequitur, ut dixit Ulpianus Iurisconsens. (in l. ingenuae C. de nupt. legibus): illa tamen iura locum non habent, quando vxor est ducissa, princeps, aut regina, ut tradunt Bald. (in e. significavit, columna 1. de rescriptis), Decius (in l. a. C. de edendo), Ray-

nuntius Ostiensis, et alii non pauci, quos refert, et sequitur Tiraquellus (de nobilitate cap. 18), idque mihi aperte statutum fuisse videtur (in l. univ. C. de praepositis laborum lib. 12), ubi haec verba lego: Nam immunitate digni sunt, quos nostris lateris comitatus illustrat. Nulla autem excogitari potest maior lateritas, ut verbis loquar Baldi praecitato loco, quam viri et vxoris. Unde ad id significandum olim Deus vxorem dedit primo parenti productam ex costa lateris sui. Igitur cum d. Iosephum B. V. latus illustraverit, non potuit exinde non magnam nobilitatem nascisci. Quod si d. Iosephum collateralem esse Virgini, regiam nobilitatem praebuit, plane aliam non inferriorem ex eo, quod per plures annos collateralis Christi Domini fuit, adeptum fuisse ambigendum non est: ut enim ait Imperator (in praecitata lege 1. C. de praepositis laborum): Qui praepositi laborum nostro iudicio pronoveantur, clarissimi sunt inter electos, ita ut ex consularibus habentur: et (in l. fin. C. de excusationibus tutorum) dicit: Viras clarissimos sacri nostri palatii silentarios, circa caput nostrum militantes, de tutelis et curationibus excusari. Cum ergo divus Ioseph per omnes annos infantiae, et pueritiae Christi lateri eius adhaeserit, non solum ut socius laborum, aut minister, vel famulus, sed ut magni consilii adiutor fidelissimus, imo ut superior, cui Dominus ipse ultro se subderet, ut testatur divus Lucas; non potuit non inde magnum contrahere nobilitatis splendorem, ut merito in eum conveniat illud, quod (Esther 6) de Mardocheo dictum fuit: Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare. Atque hinc est, quod sicut moris est in singulis nobilium familiaribus, diversis ab aliis stemmata ostentare, ad earum nobilitatem dignoscendam, et distinguendam, ut tradunt Tiraquellus (de nobilitate cap. 6), et Cassaneus (in catalogo gloriae mundi 1. part.), unde etiam in catholica Ecclesia plurimorum sanctorum venerandae imagines ex diversis stemmatibus agnoscuntur, princeps Apostolorum Petrus per claves, Apostolus Paulus per ense, divus Augustinus per sagittarum cor, et per haereticorum capita pedibus eius conculcata, Seraphicus noster Pater Franciscus per sacra ei impressa stigmata, b. Pater Dominicus per canem variis maculis distinctum facem praedicationis accensam ferentem, illustris S. Laurentius martyr Hispanus per craticulam, nobilissima virgo, et martyr Catharina per novacularum rotam, sanctissima Deipara per Christum Dominum in ulnis suo pectori admodum; sic stemmata illa, quibus Ioseph insignitur in argumentum suae nobilitatis, tanto splendore coruscant, ut omnia regum, et imperatorum quantumque Gaesarea insignia, cum illis nulla ratione valeant comparari. Etenim sicut ipse fuit velut confinium utriusque legis, scriptae scilicet, et gratiae, ita etiam ex utroque capite varia ei competunt suae ingenuitatis, et claritatis insignia: nam quatenus de domo David in stemmate habet fundam, et quinque limpidissimos lapides, quibus David eius parens giganteam illam Goliath molem prostravit, nec non gladium, quo

caput illius gloriose praecidit: quatenus vero sponsus fuit Virginis, et pater legalis Christi, sicut maiorem inde nobilitatis claritatem mutuavit, ita splendidiora, et gloriosiora stemmata sortitus est, non ab hominibus collata, sed ab ipso totius nobilitatis fonte ei tributa: haec sunt Iesus, et Maria. Quod ne meo Marte confingere videar, divino eloquio, ac nervosa ratione comprobabo: an nescitis angelum ad Iosephum dixisse (Matth. 2): Ioseph accipe puerum, et matrem eius. Quasi clarior in persona Dei dicentem Ioseph haec regalia insignia, ac tunc divinitus inditae nobilitatis clarissima stemmata suscipere (Matth. 3): Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Haec de qua multo ante praedixeram (Cant. 4): Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Haec tua sunt, tibi singulariter propria, haec in trophaeorum tuorum monumentum in regio tuo sculo depingere potes, atque haec stemmata sub metaphora virgae, et floris ab Isaija (cap. 11) praenunciata fuisse, facile mihi persuadeo: Egre dicitur virga de radice Jesse, et flos de radice eius ascendit. Virga illa Mariam refert: etenim, quod arida esset, indicat virginum mentis: quod sine humore reforescit, ostendit non ex opera viri, sed ex divino spiramine concessisse: flos vero de radice eius ascendens Christum Dominum significat, instar floris ab ea ortum absque suae integritatis violatione. Tunc autem virga, et flos intelligenitur etiam data, tanquam stemmata d. Ioseph, quando ad explorandum quis esset futurus sponsus Virginis, cunctis de domo David ad nubesudum apsis, singulas virgas accipientibus, ut cuiuscumque haberent, configit, ut sola Iosephi virga flores germinante in sacerdotium fuit electus, ita simili miraculo b. Ioseph fuit in sponsus Virginis destinatus. Virga igitur cum suo flore in manu Iosephi posita, praeterquam quod significat superioritatem, a quam habiturus erat super utrumque, facile nobis ante oculos ponit virgam, et florem, Mariam et Iesum sibi in propria suae nobilitatis insignia coelitus data; haec autem tam splendida, ac praecleara stemmata d. Ioseph esse debita, ratio non parum urgens probat. Nam quando aliquis strenuus miles in bello iusto regem quampiam debellavit, rex ille calenis victus, pro stemmate datur: et qui regem, ut regniam ab insidiis, et morte liberavit, eos in insignia nobilitatis assumit. (In l. etiam quisque §. fin. C. ad leg. Jul. Maiest.) statuitur, ut revelans conditiones contra regem, vel republicam amplissime remuneretur: verba eius sunt haec: Si quis in exordio invidiae factionis studio verae laudis accensus initan prohiberet factionem, praemio et honore donabitur. Sed non opus est Iuris civilis testimonio, ubi divinum eloquium (Esther 7) luculenter dicit, quod cum Mardocheus insidias Bagatham, et Thares eunucho regem Assuerum iugulare machinatum eidem regi delegeret, continuo regis honoribus ab eo fuit cumulatus: saepe d. Ioseph insidias adversus Christum, et Matrem non relevavit; per revelationem tamen angeli cas a-

gnoecens, quas Herodes illis parabat, continuo omni deposita mora, et nulli parcens labori, Matrem et prolem in Egyptum duxit; ab immansissimis illis lupi. eruentis faucibus illos liberans. Merito ergo Maria, et Iesus, tanquam a Iosepho liberati, in stemmata eius debebantur in praenium sibi dari, Salomone dicente (Prop. 28): *Qui custos est Domini sui, glorificabitur*. Quam autem strenue, ac viriliter Ioseph pro defensione Christi, et Mariae adversus diabolum pugnaret, his verbis erudite descriptis piissimus Isidorus Isolanus (2. p. cap. 4): *Fuit Ioseph Christi pueri contra insidias diaboli et ostentus defensor: magna profecto erat, et mortalibus inceptibilis virtus Iosephi, quae vehementiora diaboli nocumenta superare poterat. Non est potestas super terram, quae diaboli potestati comparari queat. Illi tamen incoeguitas Iosephi virtutes Deus omnipotens opposuit, quam fortis, quam excelsus, quanta fulgebant prudentia Ioseph, qui adversus fortissimum, callidissimum, ac nequissimum diabolum, filium Dei infantem, ac puerum protegit, et defendit? Hic quoque Matris Virginis pudorem tulit est tanta fide et sapientia, ut etiam intellectum angelicum diaboli obtenebraverit: oppressa enim fuit mens diaboli a maiestate prudentiae Iosephi; haecenus ille.*

Ad extremum, ut insignis nobilitas, ac regia sanguinis claritas divi Iosephi manifestis innocens, illam decere censui a primo parente, ex quo pariter constat, in quibus parentibus Ioseph, et beata Virgo conveniant, et in quibus dissideant.

Adam cum esset annorum centum triginta genuit Seth.

Seth autem annorum 105. genuit Enos, Enos autem annorum 90. genuit Cainan, Cainan autem annorum septuaginta genuit Malaleel.

Malaleel autem 65. agens annum genuit Jared, Jared autem annorum 162. genuit Henoch, Henoch autem annorum 65. genuit Mathusalem, Mathusalem autem annorum 187. genuit Lamech.

Lamech autem annorum 182. genuit Noe, Noe autem annorum 500. genuit Sem.

Sem autem, vel Melchisedech rex, et sacerdos biennio post diluvium genuit Arphaxat, Arphaxat autem annorum 35. genuit Cainan, Cainan autem genuit Sale,

Sale autem annorum 30. genuit Heber, Heber autem annorum 34. genuit Phaleg,

Phaleg autem annorum 30. genuit Ren, vel Ragau,

Ren, vel Ragau autem annorum 32. genuit Sarug,

Sarug autem annorum 30. genuit Nachor, Nachor autem annorum 29. genuit Thare,

Thare autem annorum 70. genuit Abraham, Abraham autem annorum 99. genuit Isaac,

Isaac autem annorum 60. genuit Iacob, Iacob autem annorum 91. genuit Iudam,

Iudas autem genuit Phares de Thamar, Phares autem genuit Esron,

Esron autem genuit Aram, Aram autem genuit Aminadab,

Aminadab autem genuit Naasson, Naasson autem genuit Salmon,

Salmon autem genuit Booz de Rahab, Booz autem genuit Obed ex Ruth,

Obed autem genuit Jesse, Jesse autem genuit David, David autem Rex genuit Salomonem,

Salomon autem genuit Roboam, Roboam autem genuit Abiam,

Abias autem genuit Asa, Asa autem genuit Iosaphat,

Iosaphat autem genuit Ioram, Ioram autem genuit Ocoziam,

Ocozias autem genuit Ioram, Ioram autem genuit Amasiam,

Amasias autem genuit Oziam, Ozias autem genuit Iothan,

Iothan autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Ezechiam,

Ezechias autem genuit Manasse, Manasse autem genuit Amon,

Amon autem genuit Iosiam, Iosias autem genuit Iechoniam,

Iechonias autem genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel,

Zorobabel autem genuit Abiud, Abiud autem genuit Eliacim,

Eliacim autem genuit Azor, Azor autem genuit Sadoch,

Sadoch autem genuit Achim, Achim autem genuit Eliud,

Eliud autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Mathan,

Mathan autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioseph, Ioseph autem genuit Iesum, de quo natus est Iesus.

Quia tamen in enarrationem progenitorum divi Iosephi incidimus, adverteo, progenitores Iosephi positos infra Davidem, non esse progenitores naturales. b. Virg. et consequenter nec Christi Domini: nam beata Virgo non descendit ex Davide per Salomonem, sed per Nathan fratrem eiusdem Salomonis, ut divus Lucas (cap. 3) palam testatur. Quare ad cognoscendam lineam rectam, per quam descendit beata Virgo, atque adeo Christus Dominus, in quantum homo, quamvis beata Virgo, et Ioseph eosdem progenitores habuerint usque ad David inclusive, deinceps tamen omnino diversi sunt: nam ad Iosephum spectant omnes supra relati infra Davidem, ad beatam vero Virginem hi, qui sequuntur: nam Iudam cognovit David genuit Nathan, Nathan autem genuit Mathata, Mathata autem genuit Menna, Menna autem genuit Melea, Melea autem genuit Eliachim, Eliachim autem genuit Iosaphat, Iosaphat autem genuit Iona, Iona autem genuit Ioseph, Ioseph autem genuit Iuda, Iuda autem genuit Simeonem, Simeonem autem genuit Iosephum, Iosephum autem genuit Levi, Levi autem genuit Mathath, Mathath autem genuit Ioram, Ioram autem genuit Ioram, Ioram autem genuit Eleizer, Eleizer autem genuit Iesa,

David genuit Nathan, Nathan autem genuit Mathata, Mathata autem genuit Menna, Menna autem genuit Melea, Melea autem genuit Eliachim, Eliachim autem genuit Iosaphat, Iosaphat autem genuit Iona, Iona autem genuit Ioseph, Ioseph autem genuit Iuda, Iuda autem genuit Simeonem, Simeonem autem genuit Iosephum, Iosephum autem genuit Levi, Levi autem genuit Mathath, Mathath autem genuit Ioram, Ioram autem genuit Ioram, Ioram autem genuit Eleizer, Eleizer autem genuit Iesa,

Iesu autem genuit Iar, Iar autem genuit Elmadan,

Elmadan autem genuit Cosan, Cosan autem genuit Addi,

Addi autem genuit Melchi, Melchi autem genuit Neri,

Neri autem genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel,

Zorobabel autem genuit Resa, Resa autem genuit Ioaana,

Ioaana autem genuit Iudam, Iudam autem genuit Iosephum,

Iosephum autem genuit Semei, Semei autem genuit Mathathiam,

Mathathiam autem genuit Mahat, Mahat autem genuit Nagges,

Nagges autem genuit Hessi, Hessi autem genuit Naum,

Naum autem genuit Amos, Amos autem genuit Mathathiam,

Mathathiam autem genuit Ioseph, Ioseph autem genuit Iame,

Iame autem genuit Melchi, Melchi autem genuit Levi,

Levi autem genuit Mathath, Mathath autem genuit Heli,

Heli autem genuit Pantherem, Pantherem autem genuit Bipantherem,

Bipantherem autem genuit Iochim, Iochim autem genuit Iosachim,

Iosachim autem genuit Mariam, de qua natus est Iesus.

Advertendum tamen est, omnes hos patres, qui naturales fuerunt Mariae, fuisse Iosephi legales. Divus enim Lucas (cap. 3) miro artificio coniunxit utrumque, ut late, et sapienter prosequitur cardinalis Toletus (sup. cap. 3. Luc.), praesertim annotat. 58. Inter pleraque heroica d. Iosephi facinora, quae illum valde commendant, illud mirabile est, quod Christi Domini honorem ab Hebraeorum opprobriis suo sponsalio praeservavit, sine quo tanquam illegitime natum illum longe a se abiecerit. Unde d. Ambrosius (libr. 2. in Luc. cap. 1. in med. tom. 5) dixit: *Quid Iudaeis, quod Herodi possit adscribi, si natum viderent eae adulterio? Et divus Bernardus (hom. 2. sup. Miss. est) id confirmat his verbis: Tolerabilis fuit, atque honestius putare ad tempus de coniugio fuisse natum, quam de fornicatione: aliis enim daretur occasio, ut eius lex, et praedicatio contemnerentur. Nam si cum Pharisaei ex legitimo matrimonio Christum natum esse putarent, tamen ideo contempserunt, quod fabri filium esse crederent, quid facturi erant, si spiritum dicere potuissent? Solum enim huiusmodi illegitimi, incestuosi, et adulterini conceptui haberi, tanquam infames, iuxta (Sup. 3): *Fili adulterini in consuetudine erunt, et**

ab iniquo thoro semen exterminabitur. ubi Innocentius ex divo Ambrosio (serm. 6) legit: *Eti adullterorum erunt in consuetudine: et Lyra: Fili iniquorum, qui erunt in exterminatione: et Budaeus (in pand.) Fili adulterorum in consuetudine erunt, id est, imperfecti, et non consummati. De quibus gravissime dixit sanctus Pontifex, et martyr, Bonifacius (in epist. ad Eched. Reg. Anglor.) Incestuosi, et adulterini, neque in bello saeculari fortes, neque in fide stabiles, neque honorabiles hominibus, nec Deo amabiles: quod et refertur (c. si gens Angl. dist. 56). Sunt enim infames, quibus dignitas dignitatum non patet, ut defendit Azon (in sum. C. ea quae casus, infamia irrogatur): idque verum habet etiam si essent legitimi a Principe, cum filius legitimus similis sit alicuius, quae facit apparere, quod non est, ut loquitur Baldus, Ison, et alii, quos refert et sequitur Cassanus (in catalog. glor. mund. part. 11. consid. 43. per tot.). Hi namque taliter nati, testes sunt adulterii, et parentibus pudori sunt, non honori, ut dixit d. Ambrosius (in ser. de s. Ioann.), et refertur (in cap. dist. aliqu. 32. qu. 4.). Unde secundum Iura non promoventur ad dignitates, nisi in legitimum defectum, ut decrevit Urbanus Iurisconsultus (in lib. general. §. spur. ff. de Decur.): quod praecipue locum habet in filii presbyterorum, de quibus Urbanus Papa sic statuit (in cap. 1. 56. dist. 1.): *Presbyterorum filios a sacris altaris ministeriis removemus, nisi aut cognobis, aut in canonicis religiose probati fuerint conversati. Nam si morum honestas eos commendabiles fecerit, cessante etiam legitimo competitor, admitti poterunt, ut quam plurimis exemplis adductis probat divus Damasus Papa (in suo Pontif.), et refertur (in cap. 2. dist. 56) his verbis: *Osius Papa fuit filius Stephani subdiaconi, Bonifacius Papa fuit filius Iucundi presbyteri, Felix Papa filius Felicis presbyteri, Agapitus Papa filius Gordiani presbyteri, Theodoros Papa filius Theodori Episcopi, Silvester Papa filius Silicii Episcopi: Romae Deus dedit Papam filium Stephani subdiaconi: Felix enim Tertius natum Romanus, et complures etiam alii inveniuntur, qui de sacerdotibus nati, a apostolicae Sedi profuerunt. Et elicitus Alexander Papa Secundus (in cap. 12. dist. 56) sic ait: *Apostolica auctoritate praecipimus vobis, ut si eum, qui ab Ecclesia electus est, altero digniore esse, canonice quoque eius electionem probaveritis, fulti nostra auctoritate consecratis: nam pro eo quod filius sacerdotis eicitur, si ceteras virtutes in eum conveniant, non reiciemus, sed suffragantibus meritis conveniendo eum recipimus. Regulari tamen est, huiusmodi illegitimos esse imitatores patris sceleris, et incontinentiae, ut dicitur (in cap. si quis cum milit. 6. quae 1. et in cap. si gens Angl. dist. 56). Huius autem boni nominis in Christo apud homines, et quod fuerit ex Virgine natus, unicus testis fuit b. Ioseph; in quo maxima eius excellentia declaratur, iuxta illud (Psal. 80. num. 6): *Testimonium in Ioseph posuit illud, ut optime explicavit Isidorus Isolanus (2. part. cap. 4) dicens: Ipse Ioseph fuit Christi ex Virgine natus unicus testis. Quo munere sanc-*****